

AC E linea in alteram partem, quæ E scilicet spectat, infinita,
 itemque BB utraque ex parte immensa: certè si ACE circulum
 describit ab A centro lineam secans BB, ACE linea per BB
 lineam finito tempore feretur. Omne enim tempus in quo cælum cir-
 cum medium latum est, finitum dicitur. Id ergo etiam quod detra-
 Etum est, in quo ea linea quæ secabat, ferebatur. Erit igitur princi-
 piūm quoddam, quò primū ACE linea BB lineā diuisit, quod
 fieri non potest. Non ergo quod infinitum est in orbem verti potest.
 Ita ne mūdus quidem, si immensa esset magnitudine. Atque etiam
 ex his perspici licet, id quod infinitum sit, ferri non posse. Si enim
 A linea finita sit, quæ propter BB lineam finitam feratur: necesse e-
 rit simul, & A à B, & B ab A discedere. Quantum enim altera
 alteram, tantum hæc etiam illam consequetur. Ac si utraque è re-
 gione feratur, celerius conficientur. Sin autem propter quiescentem
 alteram altera voluatur, tardius. si modò id quod in orbem fertur,
 eadem qua prius celeritate moueatur. At illud quidem perspicuum
 est, fieri non posse, ut linea aut spaciū infinitum finito tempore con-
 ficiatur. In immenso igitur. Hoc enim antè docuimus, cùm de motu
 disputaremus. Nec verò interest, utrum finita propter immensam,
 an immensa propter finitam feratur. Cùm enim una præterit alte-
 ram, hæc etiam propter illam transit & præterit, peræquè si mo-
 ueatur, ac si quiescat, neque moueatur: nisi quòd celerius conficien-
 tur, si utraque moueatur. Quāquam nihil obstat, quòd minus inter-
 dum ea quæ motu cietur, celerius propter eam quæ quiescit, mouea-
 tur, quām ea quæ è regione moueatur, si modò quis utramque earum
 quæ contrario pulsu agitantur tardè ferri faciat: eam autem quæ
 propter quiescentem, multo illis celerius ferri. Nihil ergo rationem
 impedit, si alteram propter quiescentem ferri ponamus, quādoqui-
 dem fieri potest, ut linea A quæ mouetur, B quæ mouetur, tardius
 prætereat. Si ergo immensum est tempus, quo finita linea quæ mo-
 uetur, conficitur, id etiam infinitum sit necesse est, quo infinita per
 finitam mota est. Ita quod infinitum & immensum est, omnino mo-
 ueri non potest. Si enim vel quām minimum moueatur, immensum
 tempus esse oportebit. Atqui cælum totum circum se torquetur, at-
 que vertitur finito tempore. Ita circum interiorem orbis partē, ve-
 luti AB, quæ finita est, vertitur. Quod igitur in orbem fertur, in-